



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Quæst. 5. De Scientia media.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

Nam futuribile necessarium inimpedibiliter, est futuribile in causa & in eventu. Futuribile necessarium sed impedibiliter, & ejus causa impediretur, est tantum futuribile in causa. Denique futuribile liberum, de quo solo hic agitur, est tantum futuribile in eventu; unde solum habet futuribilitatem intrinsecam; quia, posita conditione, non haberet causam determinatam ad illud ponendum, sed tamen existeret; & liberè poneretur à causa.

Obj. 4. S. Thomas docet scientiam Dei esse priorem rebus. Item scientiam Dei non mensurari à rebus quantum ad veritatem & certitudinem, sed potius esse illarum mensuram & regulam. Item scientiam liberorum absolute futurorum fundari in decreto prædeterminativo. Item non ideo res fieri à Deo, quia futuræ sunt; sed ideo futuras esse, quia sciuntur à Deo. Item prædestinationem certam esse non solum certitudine præscientiæ, sed etiam certitudine causalitatis, Denique secundum principia S. Doctoris, debent admitti decreta absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti.

R. ad 1. S. Thomam loqui de rebus aliquando existentibus, quibus prior est non solum scientia simplicis intelligentiæ, sed etiam scientia futuribilium, quæ ratione prior est, quàm decreta, quæ præsupponuntur existentie rerum. *R. ad 2.* S. Thomam hoc tantum velle, quod intellectus divinus ex se habeat, ut verè & certò repræsentet res omnes, ut sunt, sic ut veritatem & certitudinem cognitionum suarum non accipiat ab objectis cognitis, sed utramque sibi debeat. Sed quid inde? Nam scientia futuribilium non magis ab objecto suo veritatem & certitudinem suam emendicat, quàm v.g. præscientia futurorum à suo. *R. ad 3.* hoc dici quidem, sed hætenus non esse probatum. *R. ad 4.* S. Doctorem loqui de futuris absolute. Unde quod ibi dicit, convenit scientiæ futuribilium. Nam libera absolute futura non sunt causa scientiæ futuribilium, sed è contra scientia futuribilium est causa liberorum absolute futurorum, dirigendo decreta divina. *R. ad 5.* Prædestinationem certam esse certitudinem causalitatis, quia est efficax preparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur electi. Quod autem hæc beneficia sint auxilia prædeterminantia, nulli docet S. Thomas. *R. ad ult.* N. de decretis absolutis ex parte actus, & conditionatis ex parte objecti, quæ sunt de re aliqua ponenda sub conditione pendente à solo Deo, & nunquam ponenda. Nam de ejusmodi decretis nihil planè apud S. Doctorem legitur, De illis tamen hic agitur.

Obj. 5. S. Thomas explicans concordiam libertatis nostræ cum divinis decretis, recurrit ad infinitam efficaciam divinæ voluntatis, attingentis non solum substantiam, sed etiam modum libertatis in nostris operationibus. Item reducit contingentiam & libertatem rerum ad voluntatem divinam, tanquam ad primum liberum. *R. ad 1.* nos cum S. Doctore infinitam illam divinæ voluntatis efficaciam agnoscere: sed addo, secundum mentem ejus, divinam voluntatem eatenus infinite efficacem esse, quatenus habet in potestate sua plura & plura in infinitum media, de se repudiabilia, quibuscum tamen potest nos ad operandum movere efficaciter & infallibiliter, quia per scientiam futuribilium certam & infallibilem novit Deus, futurum esse ut operemur, si futurum esset, ut per talia media ad operandum moveremur. Hoc aperte significat S. Doctor hic q. 14. a. 8. in O. ubi sic ait: *Effectus voliti à Deo eveniunt contingenter, quia Deus voluit eos contingenter evenire, & ideo contingentes causas ad eos preparavit.* Quare ergo actus liberi liberè fiunt? Juxta S. Thomam non solum fiunt, sed etiam liberè fiunt, quia Deus voluit eos non solum fieri, sed etiam liberè fieri; unde preparavit illis causas contingentes, hoc est, causas, à quibus fiunt quidem, sed ita ut possint ab illis non fieri: per causas enim contingentes manifestè intelligit causas, cum opposito effectus, ad quem destinantur, compossibiles, ita ut possint esse causæ illæ, & non ope-

rari effectum, ad quem destinantur.

R. ad 2. S. Thomam reducere contingentiam & libertatem rerum in voluntatem divinam, tanquam in primum liberum, quia sicut causæ liberè non sunt, nisi quia Deus liberè vult eas esse; ita nec liberè operantur, nisi quia Deus liberè vult eas liberè operari, & liberè movere eas ad operandum, quomodo eis convenit non solum ut operentur, sed etiam ut operentur sine intrinseca determinatione ad unum. Hoc autem nec præstat, nec præstare potest Deus, nisi adhibendo media de se repudiabilia & conjungibilia cum opposito ad quod dantur, sed quibuscum per certam & infallibilem scientiam prævidet causas liberas esse operaturas. Quæ scientia non est alia, quàm scientia futuribilium, ab omni decreto actu existente independens. Hanc porro scientiam deinceps Scientiam Mediam vocitabimus, ob rationem infra dandam, & de ea sub hoc nomine questione sequenti, quam contra Jansenistas institimus, & alios ab illis specie tenus dissentientes, quaeremus, 1. Utrum detur non solum pro statu naturæ innocentis, sed etiam pro statu naturæ lapsæ. 2. Utrum defensores ejus sint Pelagiani aut Semipelagiani. 3. Ad quid sit utilis. Sit itaque

Q U Æ S T I O V.

De Scientia Media.

ARTICULUS I.

Utrum detur in Deo Scientia media, non solum pro statu naturæ innocentis, sed etiam pro statu naturæ lapsæ circa actus salutare.

R E S P O N S I O I.

Datur in Deo Scientia media. *Prob.* Nam Scientia media est scientia futuribilium, independens ab omni decreto actu existente. Non aliam scientiam nomine scientiæ mediæ intelligimus. Atqui dari scientiam futuribilium, ab omni decreto actu existente independentem, Quæst. præcedenti accuratè probatum est. Ergo datur scientia mediæ, qua scilicet Deus antecederet ad omne decretum actu existens, certò & infallibiliter cognoscit, quid quælibet creatura rationalis liberè ageret, vel non ageret sub quacumque conditione possibili, ad rem pertinet. Sed sit

R E S P O N S I O II.

Datur in Deo scientia mediæ pro statu naturæ innocentis, non solum circa actus malos, sed etiam circa bonos & salutare.

Habemus hic consentientes Jansenistas, & alios, qui se Augustinianos Theologos nominant, & facile probatur. Nam pro statu innocentie, in quo homo plena & integra libertate fruiturus erat, absque omni determinatione antecedenti sive ad malum per concupiscentiam, sive ad bonum per gratiam: si in eo conderetur, independenter ab omni decreto actuali, verum fuit dicere: Si Adamus tali modo tentaretur, seipsum determinaret ad peccandum; si Adamus tali modo illustraretur, se ipsum determinaret ad bene operandum, &c. Atqui Deum nulla veritas latere potest. Ergo Deus independenter ab omni decreto actuali prævidit certò & infallibiliter, Adamum contingenter & liberè peccaturum esse in statu innocentie, si tali modo tentaretur: Adamum contingenter & liberè opus bonum & salutare facturum esse in statu innocentie, si tali modo illustraretur: Adamum contingenter & liberè perseveraturum esse in statu innocentie, si tali modo adjuvaretur, &c. Atqui hæc prævisio neque est scientia simplicis intelligentiæ, quæ est tantum de possibili, aut necessario futuribili; neque scientia visionis, quæ supponit existentiam

tiam decretorum, & est tantum de rebus existentibus ut sic. Ergo superest ut sit scientia inter utramque media, quæ non est necessaria, ut prima, neque libera Deo, ut secunda, sed merè contingens, eo quod habet pro objecto contingentem & liberam futuribilitatem actuum creaturæ rationalis. Ex dictis apertè colligitur Deum habere eandem scientiam circa actus sive bonos sive malos Angelorum ut futuribiles. Non enim est potior ratio pro homine in statu innocentie considerato, quam pro Angelis. Nec diffitebuntur ii, quorum hac questione doctrinam impugnamus.

RESPONSIO III.

Datur in Deo scientia media pro statu naturæ lapsæ, & circa actus malos & circa salutes.

Prob. 1. Contra Janenistas. Si non datur scientia media in Deo etiam pro statu naturæ lapsæ circa actus hominis sive bonos, sive malos, certè quia actus hominis pro statu naturæ lapsæ non sunt contingentè & liberè futuribiles, sed futuribiles necessarii, ut mali sub conditione concupiscentiæ prædominantis, ut boni sub conditione prædominantis cælestis delectationis; unde fit, ut actus hominis sive boni sive mali pro statu naturæ lapsæ, quæ futuribiles, non sint objectum scientiæ contingentis, sed necessariæ, nempe scientiæ simplicis intelligentiæ. Atqui hæc doctrina est hæretica. Hæreticum enim est, dicere hominem in statu naturæ lapsæ carere indifferentia activa, & semper subiacere necessitati relativæ vel ad malum, prædominante concupiscentia, vel ad bonum, prædominante cælesti delectatione. Ergo Janenistæ ex principio hæretico negant dari in Deo scientiam mediam circa actus hominis sive bonos, sive malos, quæ futuribiles, pro statu naturæ lapsæ.

Prob. 2. Contra alios, qui se ut Augustinianos Theologos venditant. Si non datur scientia media in Deo pro statu naturæ lapsæ circa actus hominis sive bonos, sive malos, certè quia homo in statu naturæ lapsæ, & quoad bonum & quoad malum, subiacet alicui necessitati antecedenti. Nam si homo in statu naturæ lapsæ nulli necessitati antecedenti, intrinsicæ scilicet, nam de tali agitur; si nulli, inquam, necessitati antecedenti subiacet, manifestum est, actus ejus, sive bonos, sive malos, tam esse contingentè & liberè futuribiles, sub aliqua conditione ad rem pertinente, pro statu naturæ lapsæ, quam fuerunt pro statu innocentie, & ita tam esse in Deo scientiam mediam circa illos, quæ futuribiles, pro statu naturæ lapsæ, quam pro statu innocentie. Atqui consequens falsum est. Ergo, &c.

Prob. min. Si homo in statu naturæ lapsæ subiacet alicui necessitati antecedenti & quoad bonum & quoad malum vel hæc necessitas est physica, vel moralis tantum. Neutrum dici potest. Non primum. Nam hæc necessitas relativa antecedens physica est hæresis Janenii, & ante Janenium fuit Calvinii & Lutheri. Non etiam secundum. Nam hæc necessitas moralis, qualis ab adversariis admittitur, talis est, ut homo non possit ei aliter resistere, quam vir sanæ mentis potest velle se ipsum jugulare, aut è domus altæ fastigio in pavementum se præcipitem dare ex motivo insufficienti, putà ad exercendam libertatem suam. Atqui hæc necessitas non est moralis necessitas, nisi nomine tenus, & est re ipsa necessitas physica, proindeque re ipsa est necessitas, quam docuit Janenius, sub voce necessitatis moralis palliata. Ergo hi prætextu Augustiniani negant esse in Deo scientiam mediam pro statu naturæ lapsæ circa actus hominis tam bonos, quam malos, quia voce tenus recedunt à doctrina Janenii, quam in re sequuntur.

Confirm. Datur in Deo scientia media pro statu innocentie circa actus hominis & bonos & malos, quia, ut dicunt ipsi adversarii post Janenium, actus hominis sive boni, sive mali, erant contingentè & liberè futuribiles pro statu innocentie.

Atqui actus hominis, sive boni, sive mali, sunt etiam contingentè & liberè futuribiles pro statu naturæ lapsæ. Ergo, &c. *Prob. min.* Actus hominis, sive boni, sive mali, erant contingentè & liberè futuribiles pro statu innocentie, quia homo deliberatè acturus in statu innocentie, acturus erat sine antecedenti determinatione intrinsicæ, sive ad bonum, sive ad malum. Atqui pariter homo deliberatè agens in statu naturæ lapsæ, agit sine antecedenti determinatione intrinsicæ, sive ad malum per concupiscentiam, sive ad bonum per delectationem victicem: agens enim deliberatè etiam in statu naturæ lapsæ, sive benè agat, sive malè, agit cum expedita facultate ad utrumlibet, ut docent Catholici. Ergo actus hominis, sive boni, sive mali, sunt etiam pro statu naturæ lapsæ contingentè & liberè futuribiles.

Obj. 1. Homo in statu naturæ lapsæ ad actus salutes indiget gratia ex natura sua efficaci. Sed necessitas gratiæ efficaci ex natura sua non potest stare cum scientia media circa actus salutes pro eo statu, pro quo ad actus salutes gratia ex natura sua efficax necessaria est. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam non ad scientiam mediam pertinet, sed ad scientiam simplicis intelligentiæ, nosse futuribilitatem actus salutaris sub conditione gratiæ ex natura sua efficaci. R. n. maj. præsertim in sensu eorum, quos hic impugnamus. Nam secundum illos gratia ex natura sua efficax consistit in indeliberata delectatione cælesti, physice prædeterminativa voluntatis ad actum salutem. Talis autem gratia, cum à Deo nobis infundatur independentè à nobis, & se teneat ex parte actus primi, manifestè voluntatem antecedenter obligat ad alteram partem contradictionis, & ita imponit illi simplicem necessitatem, quamvis non absolutam, sed relativam tantum, nec aliam ei relinquit libertatem, quam spontaneitatis. Quod est contra fidem.

Nec dic, multos ex iis, contra quos pugnamus hic, delectationi cælesti, concupiscentiæ prævalenti, tribuere tantum vim prædeterminandi moraliter voluntatem ad bonum. Nam, ut jam observatum est, hæc moralis prædeterminatio non est nisi nomine tenus moralis, & est in re physica prædeterminatio: ut enim ipsi explicant, sub illa morali prædeterminatione ad bonum, tam impossibile est voluntati nolle bonum, quam impossibile est homini sanæ mentis velle se ipsum jugulare ex motivo insufficienti. At hoc non solum moraliter, sed etiam physice impossibile est, quia voluntati impossibile est, velle malum præcisè sub ratione mali. Ergo, secundum adversarios, non solum moraliter, sed etiam physice impossibile est voluntati nolle bonum sub delectatione cælesti, concupiscentiæ prævalenti, & consequenter voluntas sub hac delectatione ad bonum physice prædeterminata est.

Et verò se ipsi produnt adversarii, cum dicunt futuribilitatem actus salutaris sub conditione cælestis delectationis, concupiscentiæ prædominantis, non pertinere ad scientiam mediam, sed ad simplicem intelligentiam. Nam sic contra illos efficaciter argumentor. 1. Si futuribilitas actus salutaris sub conditione cælestis delectationis, concupiscentiæ prædominantis, non pertinet ad objectum scientiæ mediæ, certè quia actus salutaris non est contingentè futuribilis sub illa conditione: si enim sub illa conditione esset adhuc contingentè futuribilis, tam pertineret ad objectum scientiæ mediæ, quam actus salutaris futuribilis sub conditione gratiæ, ut loquuntur, versatilis & indifferentis pro statu innocentie. Atqui actus non contingentè futuribilis sub aliqua conditione, est necessarii & quidem necessitate antecedenti futuribilis sub illa conditione: sola enim antecedens necessitas excludit contingentiam. Ergo si futuribilitas actus salutaris sub conditione cælestis delectationis, concupiscentiæ prædominantis, non pertinet ad objectum scientiæ mediæ, certè non pertinet, quia actus salutaris necessarii necessitate antecedenti futuribilis est sub illa conditione, & ita futuri-

futuribilitas actus salutaris sub conditione celestis delectationis, prædominantis concupiscentiæ, non pertinet ad objectum scientiæ mediæ, quia delectatio celestis, in re posita, quando concupiscentiæ prædominatur, antecedentem necessitatem imponit voluntati ad actum salutarem, proindeque illam ad actum salutarem physicè prædeterminat.

2. Futuribilitas actus salutaris sub conditione gratiæ ex natura sua efficacia, non potest pertinere ad objectum scientiæ mediæ, sed necessariò pertinet ad objectum simplicis intelligentiæ, quia non potest esse objectum cognitionis contingentis, hoc est, cognitionis quam sic Deus habuit ab æterno & pro æterno, ut ab æterno & pro æterno potuerit illa carere, eo quòd objectum illius aliter se se habere posset. Atqui quod non potest esse objectum cognitionis contingentis, simpliciter necessarium est; unde fit ut non possit esse objectum nisi cognitionis simpliciter necessariæ, qualis est simplex intelligentia. Ergo futuribilitas actus salutaris sub conditione gratiæ ex natura sua efficacia, simpliciter necessaria est: sicut simpliciter necessaria est futuribilitas duplo majoris luminis sub conditione solis duplo majoris, quæ proinde nonnisi cognitionis simpliciter necessariæ objectum esse potest. Ergo gratia ex natura sua efficax, seu delectatio celestis, terrenæ prædominans, secundum adversariorum doctrinam, necessitatem imponit voluntati ad actum salutarem.

Dicentne imponere tantum necessitatem consequentem? At hoc evidenter falsum est. Nam necessitas illa, quam imponit, antecedit omne exercitium libertatis, & petitur ab aliquo se tenente ex parte actus primi, & quod à solo Deo ut moraliter agente pender in esse & in conservari, nempe ab ipsa natura gratiæ. Dicentne imponere tantum necessitatem relativam & variabilem? At hoc effugium hereticorum est. Dicentne imponere tantum necessitatem moralem? At necessitas vi cuius actus cum causa sua ita connexus est, ut hæc connexio non possit esse objectum cognitionis contingentis, sed sit objectum cognitionis simpliciter necessariæ, non est moralis necessitas: necessitas enim moralis aliquando fallit, quia aliquando caret effectu suo: unde non impedit contingentiam connexionis effectus cum causa. At necessitas illa nec fallit, nec fallere potest unquam, quia nec caret, nec carere potest unquam effectu suo de potentia ordinaria: unde est necessitas propriè & stricte dicta, & vi illius tam impossibile est non produci actum salutarem ex hypothesi gratiæ ex natura sua efficacia, seu celestis delectationis, concupiscentiæ prævalentis, quam impossibile esset non profundi lumen duplo majus ex hypothesi solis duplo majoris: affert igitur physicam impossibilitatem ad oppositum, & consequenter est physica necessitas. Dicentne sub hac necessitate voluntatem adhuc esse liberam ad actum salutarem, quia adhuc oppositum potest in sensu divilo? At sensus ille divilus inutilis est ad salvandam libertatem, quia non est in potestate voluntatis: cum enim celestis delectatio, operante Deo, prævaleat concupiscentiæ, non est in potestate voluntatis actum suum suspendere, donec augeatur concupiscentia, aut celestis delectatio minuat aut tollatur à Deo. Dicentne ad libertatem sufficere, ut voluntas velit sub iudicio indifferenti? At hoc Jansenianum est. Dicentne eandem difficultatem solvendam esse Thomistis? At dicere non possunt cum Thomistis, gratiam ex natura sua efficacem se habere tantum per modum concursus, & ita se tenere tantum ex parte actus secundum. Adversarii igitur non negant scientiam mediæ pro statu naturæ lapsæ, nisi evertendo hominis lapsi libertatem, & incidendo, velint, nolint, in Jansenii sententiam de gratia in statu naturæ lapsæ necessaria ad actus salutes producentes. Quod ut adhuc amplius pateat,

Sic argumentor. 3. Vel actus salutaris potest non esse pro statu naturæ lapsæ in sensu composito cele-

stis delectationis prædominantis, sicut poterat non esse pro statu innocentis naturæ in sensu composito gratiæ, ut loquuntur, versatilis & indifferens; vel non potest non esse. Si primum. Actus salutaris, ut futuribilis, tam pertinet ad scientiam mediæ pro statu naturæ lapsæ, quam pro statu naturæ innocentis. Si secundum. Actus salutaris, ut futuribilis, non pertinet quidem ad scientiam mediæ pro statu naturæ lapsæ, sed necessariò necessitate antecedenti futuribilis est pro statu naturæ lapsæ, & ita pro statu naturæ lapsæ non est amplius liber. Quod facilè sic ostenditur. Actus salutaris non potest non esse in sensu composito celestis delectationis prædominantis. Ergo, quod idem est, non potest non esse ex hypothesi celestis delectationis prædominantis, in re existentis. Sed hæc hypothesis est antecedens: est enim independens ab omni exercitio libertatis humanæ. Ergo non potest non esse ex hypothesi antecedenti. Ergo simpliciter necessarius est necessitate antecedenti, hypothesis enim antecedens affert necessitatem antecedentem.

Dicentne actum salutarem ex hypothesi celestis delectationis prædominantis non posse non esse potentia ad actum aliquando reducenda, sed posse non esse potentia ad actum reducibili, quamvis nunquam reducenda ad actum? Sed contra est. 1. Unde habent, quòd hæc potentia nunquam reducatur ad actum, supposito, quòd ad actum sit verè reducibilis? & vicissim unde habent, quòd hæc potentia sit verè reducibilis ad actum, supposito, quòd ad actum nunquam reducatur? 2. Ut ipsimet docent, potentia illa non est magis reducibilis ad actum, quam in homine sana mentis potentia volendi efficaciter se ipsum jugulare ex motivo insufficienti, putà præcisè ad exercendam libertatem. Atqui hæc potentia non est verè reducibilis ad actum, nec est vera potentia, sed vera impotentia; sicut potentia volendi malum, præcisè quia malum, non est potentia, sed impotentia. Ergo adversarii negant in Deo scientiam mediæ pro statu naturæ lapsæ, quia cum Jansenio sentiunt hominem per culpam originalem spoliatum esse indifferentia activa, & facultate se ipsum determinandi ad actus salutes cum gratia versatili, ut ajunt, & indifferente, hoc est, cum gratia ex se repudiabili, proindeque in statu naturæ lapsæ indigere gratia, seu celesti delectatione, ipsius voluntatem ad bonum prædeterminante.

Dices. S. Augustinus contra Pelagianos defendit necessitatem gratiæ ex natura sua efficacia pro statu naturæ lapsæ. Ergo, &c. R. n. ant. Itaque, ut suo loco accuratè ostenderetur, non necessitatem gratiæ ex natura sua efficacia, seu, ut intelligunt adversarii, necessitatem victicis delectationis, voluntatem ad bonum prædeterminantis, sed necessitatem inspirationis pro statu naturæ lapsæ defendit contra Pelagianos S. Augustinus, in quantum contra illos, & quidem rectè catholicèque contendit, homini lapsò, ad bonum salutariter operandum, præter gratiam legis & doctrinæ, qua contenti erant Pelagiani, imò & præter internam gratiam supernaturalis illustrationis, necessarium esse immediatum voluntatis adiutorium supernaturale, quo voluntas immediatè præveniatur, præparetur, excitetur, erigatur, corroboretur contra languorem ex originali peccato contractum, hoc est, contra inordinatos effraenis concupiscentiæ motus. Quod immediatum voluntatis adiutorium, quando perfectè sanat voluntatem, consistit in celesti quadam delectatione, qua voluntati ob concupiscentiæ morbum nauseanti bonum suave efficitur, hoc est, in indeliberato aliquo & supernaturali amore, vel desiderio boni salutaris, quo bonum salutare suaviter placet, & quo velut pondere voluntas versis bonum salutare inclinatur quidem & trahitur, at ad illud amplectendum & prosequendum minimè prædeterminatur. Tali enim prædeterminatione non indiget voluntas, quamvis agrotata, quia non amisit indifferentiam activam, & vim se ipsam determinandi ad bonum, vel ad

ma-

malum: licet, ut ad bonum sese determinet, obinfirmitatem ex originali peccato contractam, indigeat potentiori gratia, nempe inspiratione, sub qua ipsam immediate praeveniente, preparante, adjuvante, & natura prius influente, se ipsam determinet ad opus salutare.

Obj. 2. Dari in Deo scientiam mediam circa actus salutare pro statu naturae lapsae, fuit dogma Pelagianorum & Semipelagianorum. Ergo, &c. R. n. ant. *Probabis.* Nam hac scientia Pelagiani usi sunt, 1. ad reddendam rationem, quare antequam nati essent Jacob & Esau, aut quidquam boni egissent vel mali, Deus unum dilexerit, & alterum odio habuerit, ut testatur S. Augustinus epist. 105. quae est ad Sixtum. 2. Ut testatur S. Doctor eadem epist. ad reddendam rationem, quare ex duobus parvulis ante adultam aetatem morientibus, Deus unum faciat mori sine baptismo, & alterum cum baptismo. Similiter Semipelagiani eadem scientia usi sunt, non solum ad reddendam rationem cum Pelagianis, quare ex duobus parvulis unus sine baptismo, alter cum baptismo moriatur, & ita unus salvetur, alter vero perdat; sed etiam ad reddendam rationem, quare hoc tempore & non alio, his nationibus & non aliis praedicatum sit Evangelium, ut refert Prosper in sua ad Augustinum Epistola.

R. 1. falsum esse, quod Pelagiani usi sint scientia media ad reddendam rationem de Jacob & Esau, quare scilicet unus fuerit dilectus, & alter odio habitus à Deo, antequam nati essent, aut quidquam boni vel mali egissent. Nam ad hoc usi sunt praescientia absoluta, seu scientia visionis, ut manifestum est ex S. Augustino lib. 2. contra duas epist. Pelag. c. 7. ubi Pelagiani respondentibus Jacob, antequam natus esset, dilectum fuisse à Deo propter bona ejus opera futura & absolute praevia; Esau vero, antequam esset natus, odio habitum propter mala ejus opera futura & praevia absolute; opponit duos geminos ex meretricis genitos, & ut ab aliis colligerentur, expositos, quorum unus moritur baptizatus, alter non baptizatus, de quibus responderi non potest, quod unus fuerit à Deo electus propter bona merita, alter vero reiectus propter mala merita futura & absolute praevia.

Porro eadem praescientia absoluta etiam abusi sunt Semipelagiani contra gratuitam praedestinationem, cum hoc tamen discrimine, quod Pelagiani vellent eos, qui salvantur, ex praevisione absoluta meritorum naturalium & finalis perseverantiae, ex solis arbitrii viribus profectae, ad gloriam fuisse praedestinos: Semipelagiani vero ex sola praevisione absoluta naturalis credulitatis & fidei, quotquot electi sunt à Deo, electos fuisse ante mundi constitutionem docerent, & ita bona omnia electorum merita esse effectum concederent electionis, cui sola credulitas & fides naturalis in absoluta praescientia praerit. Patet ex S. Augustino lib. de praed. Sanct. c. 19. ubi de Pelagianis loquens, sic ait: *Ipsi putant, acceptis praecipitis, jam per nos ipsos fieri libere voluntatis arbitrio sanctos & immaculatos in conspectu ejus in charitate: quod futurum Deus quoniam praescivit, inquit, ideo nos ante mundi constitutionem elegit & praedestinavit in Christo.* Dum post pauca ad confutandos Pelagianos subiecta, sic de Semipelagianis loquens, prosequitur: *Nos autem dicimus, inquit, nostrum Deum non praescisse nisi fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegisse ante mundi constitutionem, ac praedestinasse, ut iam sancti & immaculati gratia atque opere ejus essemus.* Ex his autem,

R. 2. Concesso antecedente quoad reliqua, N. conf. Sicut enim non valet: Pelagiani & Semipelagiani abusi sunt praescientia absoluta ad tuendos errores suos: ergo praescientia absoluta fuit dogma Pelagianorum & Semipelagianorum: ita nec valet: Pelagiani & Semipelagiani scientia media abusi sunt, &c. Abusus igitur, non substantia utriusque scientiae, fuit dogma Pelagianorum. Nam Pelagianorum & Semipelagianorum dogma fuit, ex duobus parvulis unum salvari, & alterum damnari, quia, si ad adultam pervenissent aetatem, unus bene sanctaeque vixisset, alter male; item ex duobus adultis ethnicis uni praedicari Evangelium, & alteri non

Simonet Theol. Tom. I.

praedicari, quia unus crediturus erat, & alter non crediturus erat, praedicato sibi Evangelio: sicut dogma Pelagianorum est, homines praedestinari ad gloriam propter merita naturalia, absolute futura; & Semipelagianorum, homines ad sanctitatem & puritatem vitae eligi propter credulitatem naturalem, vel inchoatam fidem, ex solis arbitrii viribus conceptam, absolute futuram. Unde dogma Pelagianorum & Semipelagianorum est, quod ex parvulis morientibus alios voluerit efficaciter, alios non efficaciter voluerit baptizari, quia praevit alios bene victuros esse, alios male, si pervenirent ad aetatem adultam; item quod ex pluribus adultis, aliis efficaciter, aliis non efficaciter voluerit Evangelium praedicari, quia praenovit alios credituros, alios vero non credituros esse, praedicato sibi Evangelio; sicut Pelagianorum dogma est, quod Deus inter homines eos ad gloriam praedestinavit, quos absolute praevit, ex solis arbitrii viribus praepcepta divina servaturos, & in hac praepceptorum divinarum observatione perseveraturos; & Semipelagianorum, quod Deus inter homines eos ad salutaria opera, & vitae puritatem elegerit, quos absolute praevit, proposito sibi Evangelio, credere velle & credere inceperos esse solis viribus naturae. Ecce autem abusum utriusque scientiae, non substantiam. Abusum itaque damnamus; substantiam vero retinemus.

Dices. S. Augustinus in Pelagianis & Semipelagianis damnavit non solum usum, sed etiam substantiam scientiae mediae pro statu naturae lapsae circa actus salutare. Ergo, &c. R. n. ant. *Probabis.* S. Augustinus contra Pelagianos & Semipelagianos docuit, Deum pro statu naturae lapsae nullum praescire pietatis opus, quod non absolute decreverit in nobis operari. Ergo S. Augustinus contra Pelagianos & Semipelagianos docuit, omnem in Deo operum salutarium praescientiam pro statu naturae lapsae fundari in divino decreto, quo Deus omnia opera salutaria pro illo statu misericorditer preparavit, preparando homini lapsi gratiam ad bonum praedeterminativam. R. ad ant. tunc S. Doctorem loqui de praescientia absoluta operum pietatis absolute futurorum; quam praescientiam recte catholicè docet contra Pelagianos & Semipelagianos fundari in praedestinatione divina, qua Deus ab aeterno ex pura misericordia electis suis pro statu naturae lapsae preparavit gratiam, non praedeterminantem, ut adversarii volunt cum Janenio, sed congruam, hoc est, ut ipse Augustinus docet lib. 1. ad Simplicianum q. 2. gratiam seu vocationem, quam per scientiam conditionalem, & decretis divinis ratione priorem, novit ita voluntati aptam fore, si homo ita vocetur, ut re ipsa vocantem secutura sit ex propria determinatione. Per ejusmodi autem auxilia, in aeternitate misericorditer preparata, Deus in tempore operatur in nobis omnia nostra pietatis opera, non praedeterminando nos per victimam delectationem, sed per eam simul & illustrationem vocando nos, quomodo nobis congruit, ut vocantem non respuamus.

Dices. Scientia media, quantum attinet ad actus salutare, est scientia, qua novit Deus actum salutarem futuribilem esse, sub conditione interioris gratiae versatilis & indifferentis. Sed dari talem scientiam in Deo pro statu naturae lapsae, est dogma Pelagianorum & Semipelagianorum. Ergo, &c. R. 1. n. maj. de vera scientia media, & qualem in Deo agnoscimus. Nam haec scientia, quantum attinet ad actus salutare pro statu naturae innocentis, est ea, qua Deus novit actum salutarem esse futuribilem sub conditione talis illustrationis supernaturalis, in talibus circumstantiis infusae; & pro statu naturae lapsae, est ea, qua Deus novit actum salutarem futuribilem esse sub conditione talis inspirationis, praevia tali illustratione. At neque illustratio pro statu naturae innocentis, neque inspiratio cum illustratione, pro statu naturae lapsae, est gratia versatilis & indifferentis. Nam illustratio pro statu naturae innocentis, & inspiratio cum illustratione pro statu naturae lapsae est causa necessaria, & ex se determinata ad producendum effectum salutarem, ad quem destinatur, quamvis non impedibiliter, quia ex se repudiabilis est, & conjungibilis cum

F

cum

cum opposito actus ad quem destinatur. Unde voluntas pro activa indifferentia, quam habuit in statu naturæ innocentis, & quam retinet in statu naturæ lapsæ, infirmatam tamen & inclinam propter peccatum originis, potuit & potest, non in diversas partes versare, non determinare vel non determinare pro arbitrio, sed repudiare interiorem gratiam prævenientem, & cum ea componere negationem consensus salutaris, ad quem exprimendum data fuit, vel datur. Quando autem voluntas in præfenti statu hanc prævenientem gratiam non repudiat, tunc gratia præveniens habet effectum suum, cum voluntate operando consensum salutarem, non quia versatur in hanc partem, aut ad hoc potius quam ad illud determinatur à voluntate, sed quia voluntas ab ea misericorditer præventa & præparata, se ipsam determinat sub ipsa gratia eam non solum excitante, sed etiam contra rebellantem concupiscentiam corroborante, & corroborando natura prius influente in determinationem ejus.

R. 2. N. min. nam 1. Pelagiani nullius interioris adjutorii voluntatem immediatè afficientis necessitatem agnoscere pro statu naturæ lapsæ, & constanter docuere externam legis & doctrinæ gratiam sufficere, nec internam aliquando illustrationis gratiam admiscere, nisi ad facilius posse. Unde secundum Pelagianos, scientia media, quantum attinet ad opera salutaria pro statu naturæ lapsæ, fuit ea, qua Deus novit operum salutarium futuribilitatem sub conditione legis & doctrinæ in talibus circumstantiis, vel exterius per prædicationem, vel interius per illustrationem proposuisse. Quam scientiam fuisse merum Pelagianorum commentum confitemur. 2. Semipelagiani nullius similiter interni adjutorii immediatè voluntatem afficientis necessitatem confessi sunt pro fide initiali etiam in statu naturæ lapsæ, & quoad hoc Pelagianis planè consenserunt. Unde secundum Semipelagianos, scientia media, quantum attinet ad fidem inchoatam pro statu naturæ lapsæ, fuit ea, qua Deus novit fidei inchoatæ futuribilitatem sub conditione prædicationis Evangelii, seu qua Deus novit hos incepturos fuisse, illos verò non fuisse incepturos credere, si prædicaretur illis Evangelium. Quam scientiam ut falsam, & principio hæretico nixam explodimus. Quantum verò spectat ad opera salutaria, in quorum numero fidem inchoatam non computabant, videntur consensisse S. Augustino, & cum eo confessos esse necessitatem interioris gratiæ pro statu naturæ lapsæ, voluntatem immediatè prævenientis & præparantis, nec probari possunt voluisse gratiam illam esse versatilem & indifferentem. Sed de his suo loco fustis. Interea ex dictis satis apparet, quod perperam imputaretur Massiliensibus scientia, qua diceretur Deus præcivisse operum salutarium futuribilitatem pro statu naturæ lapsæ sub conditione interioris gratiæ versatilis & indifferentis.

Dices. Saltem scientia media pro statu naturæ lapsæ, est ea qua Deus dicitur præcivisse pro illo statu operum salutarium futuribilitatem sub conditione talis inspirationis, prævia tali illustratione, ex se repudiabilis, & compositibilis cum negatione consensus salutaris, ad quem exprimendum infunderetur. Atqui hæc scientia Pelagiana est; nam fundatur in dogmate Pelagiano. Ergo, &c. R. n. min. & prob. ejus. Contra. Hæc scientia supponit voluntatem humanam non amisisse per peccatum originale vim se ipsam determinandi ad bonum, & ita eam in statu naturæ lapsæ adhuc posse bene & lautariter agere, se ipsam ad opus salutare determinando sub præveniente gratia, nempe sub inspiratione ipsam quidem elevante, excitante, & corroborante, sed non determinante. Atqui voluntatem humanam non amisisse, &c. est dogma Pelagianum. Ergo, &c. R. n. min. imò contrarium, nempe quod voluntas humana amisit per peccatum originale vim se ipsam determinandi ad bonum, ita ut sub præveniente gratia, hoc est, sub illustratione & inspiratione, vel, si vis, cœlesti delectatione, ipsam prævenientibus, excitantibus, & corroborantibus, non possit se ipsam determinare ad actum salutarem, neque sub illis, quantacumque supponantur, unquam bene & salutariter agat in præfenti statu, nisi

etiam ab eis prædeterminetur ad salutarem volitionem, est dogma verè Janfenianum. Ex quo adhuc ampliùs apparet, eos contra quos hic agimus, ex principio hæretico impugnare scientiam mediam, qualem defendimus circa actus salutares pro statu naturæ lapsæ. Certè hæc scientia supponit tantum duo, nempe indifferentiam activam voluntatis humanæ infirmatam quidem esse per peccatum originale, sed non penitus extinctam, & immediatum voluntatis adjutorium, putà cœlestem delectationem, ad exercenda opera salutaria absolute nunc necessarium propter infirmitatem ex originali culpa contractam, esse ex se repudiabile, proindeque voluntatem sub illo posse pro arbitrio exercere vel non exercere opus salutare, ad quod exercendum movetur. At hanc doctrinam ut Pelagianam aut Semipelagianam traducere, hæreticum est, & ab Ecclesia proscriptum in quarta Janfenii propositione.

ARTICULUS II.

Utrum qui defendit scientiam mediam, quam defendimus pro statu naturæ lapsæ circa actus salutares, sit Pelagianus vel Semipelagianus.

RESPONSIO.

Qui defendit scientiam mediam pro statu naturæ lapsæ, qualem defendimus etiam quoad actus salutares, non potest nisi per calumniam dici Pelagianus aut Semipelagianus.

Prob. Nam, ut patet ex dictis art. præcedenti, hæc scientia est ea, qua Deus dicitur, certò & infallibiliter præcivisse pro statu naturæ lapsæ operum salutarium contingentem & liberam futuribilitatem sub conditione non modò talis illustrationis, sed etiam talis inspirationis ex se repudiabilis, & compositibilis cum negatione operis salutaris ad quod daretur. Sed qui hanc scientiam defendit, non potest nisi calumniosè traduci ut Pelagianus aut Semipelagianus. Ergo, &c.

Prob. min. Nam si potest, vel quia negat necessitatem physicæ prædeterminationis ad actus salutares, pro statu naturæ lapsæ, qualem propugnant Thomistæ. At hoc non. Hanc enim necessitatem explodunt ipsimet, contra quos hic pugnamus, & eam negari posse sine nota Pelagianismi aut Semipelagianismi, fatentur insignes Thomistæ, & nullo negotio demonstraretur. Vel quia negat necessitatem inspirationis voluntatem prædeterminantis pro eodem statu. At hoc non. Nam Pelagiani & Semipelagiani errarunt, non negando pro statu naturæ lapsæ necessitatem inspirationis prædeterminativæ, sed præcisè negando necessitatem inspirationis, Pelagiani quidem ad quodcumque opus salutare, Semipelagiani verò ad fidem inchoatam, & alia quadam initia bonorum operum. Præterea necessitas inspirationis prædeterminativæ pro statu naturæ est dogma Janfenianum, & lapsæ naturæ circa actus naturales relinquit solam libertatem à coactione, quod est hæreticum. Vel denique quia asserit voluntati lapsæ libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, cum potestate resistendi inspirationi, putà cœlesti delectationi, in sensu composito. At hoc non. Alioqui Concilium Tridentinum fuit Synodus Pelagianorum & Semipelagianorum: cum scilicet 6. c. 5. loquens de homine re ipsa consentiente inspirationi, expresse doceat, illum hanc inspirationem abjicere posse. Quid autem est hominem abjicere posse inspirationem, nisi posse ei resistere in sensu composito, hoc est, cum ea dissensum componere?

Obj. Qui defendit scientiam mediam pro statu naturæ lapsæ, qualem defendimus, extollit liberum hominis arbitrium more Pelagianorum. Item more Pelagianorum extenuat vim gratiæ. Item facit gratiam voluntatis pedilequam, & primas in consensu salutari partes attribuit voluntati, more Semipelagianorum. Item sicut Pelagiani & Semipelagiani faciebant, de medio tollit omnem gratuitam electorum à reprobis discretionem. Item cum Pelagianis tollit distinctionem statuum, in quorum uno voluntas ante peccatum robusta fuerit in ordine ad virandum malum & faciendum bonum, in altero verò post & propter peccatum agra sit & imbecilla

becilla in ordine ad utrumque. Item cum iisdem negat nostra bona merita esse dona Dei. Item cum illis contra Doctorem gratia negat gratiam, quæ à nullo duro corde respicitur, quæ Deus facit ut velimus & faciamus, quæ creditur, speratur, diligitur, &c. Denique cum Pelagianis & Semipelagianis convenit in notione liberi arbitrii etiam pro statu præsentis. Ergo talis meritò Pelagianorum & Semipelagianorum gregi accensetur.

R. ad 1. N. Nam Pelagiani extollebant liberum arbitrium, negando necessitatem interioris gratiæ, & maxime inspirationis, ad operandum bonum, & malum vitandum in præsentis statu, & volendo ad utrumque sufficere externam gratiam legis & doctrinæ, ad quam revocabant exempla Christi, & si tandem aliquando visi sunt admittere internam illustrationis gratiam, non ad posse simpliciter, sed tantum ad facilius posse admiserunt. Extollebant igitur liberum arbitrium Pelagiani, docendo illud tantas nunc habere vires, quantas habuit in prima sui conditione; & nunc, proposita sibi lege & doctrina, per se solum valere ad exercenda quæcumque opera salutaria, & totam peccatorum collectionem vitandam etiam toto longioris vitæ decursu. At, quæso, quid hæc infanda doctrina commune habet cum scientia mediæ, quam pro statu naturæ lapsæ defendo, & quæ supponit liberum hominis arbitrium, non quidem extinctum per peccatum originis, sed veribus attenuatum, & inclinatum, ut loquitur Tridentinum, nunc ad bonum operandum & malum vitandum salutariter, indigere interna gratia non solum illustrationis, sed etiam inspirationis, proindeque indigere immediato adiutorio merè gratuito, ipsum erigente, excitante, corroborante, & adjuvante immediatè? *At inquit:* Extollebant liberum arbitrium, negando illud etiam in præsentis statu indigere interna inspirationis gratia ipsum prædeterminante, & asserendo illud adhuc habere vim se ipsum determinandi ad opera pietatis sub gratia repudiabili. *R.* hoc totum esse merum Jansenii commentum.

R. ad 2. N. Nam Pelagiani vim gratiæ extenuabant, non aliam agnoscendo, præter legem, doctrinam, & exempla Christi, ad salutariter operandum necessariam esse gratiam; si tamen ut necessariam agnoscebant. Unde non aliam vim gratiæ concedebant, quam exterius comminandi, adhortandi, præcipiendi, suadendi. At qui defendit scientiam mediæ, qualem defendimus, cum ad opera salutaria in hoc statu exercenda agnoscat necessariam esse internam gratiam illustrationis & inspirationis, gratiæ ad operandum salutariter necessariæ vim tribuit non solum intrinsecus intellectum illuminandi, ejusque tenebras ineffabili modo discutiendi, sed etiam voluntatem ipsam, eam modo pariter ineffabili immediatè & intimè afficiendo, erigendi, exitandi, corroborandi, sanandi, & cum Deus efficaciter vult illam bonum operari, tangendi, & movendi, quomodo illi congruit, ut bonum velit & operetur. *At inquit:* Denegat inspirationi victrici vim prædeterminandi voluntatem, & in hoc contradicit Augustino. *R.* hanc vim prædeterminandi voluntatem in inspiratione victrici, excludere omnem indifferentiam activam voluntatis, & hanc prædeterminandi vim denegando prævenienti gratiæ, non contradicit Augustino, sed Luthero, Calvino, & Jansenio.

R. ad 3. N. utramque partem. Nam 1. Semipelagianii gratiam voluntatis pedilequam faciebant, quatenus piam credulitatem, & alia quædam initia bonorum operum, prævio solo Evangelii præconio, ex viribus naturæ protecta, præmittebant largitioni interioris gratiæ, cujus necessitatem non solum ad perficienda, sed etiam ad incipienda omnia opera salutaria agnoscebant. At qui defendit scientiam mediæ, qualem defendimus, piam credulitatem, fidem inchoatam, orationem, & alia ejusmodi, quæ Semipelagiani ex operum salutarium catalogo expungebant, & soli naturæ relinquebant, inter opera salutaria computat, quæ voluntas nostra in præsentis statu non solum non perficere, sed nequidem incipere potest, nisi præventa & preparata ab interiori gratia illustrationis & inspirationis, quam cum largitur Deus, gratis omnino & ex pura misericordia largitur.

Simonnet Theol. Tom. 6.

2. Qui tueretur scientiam mediæ, qualem defendimus pro statu naturæ lapsæ, tenet consensum salutarem esse à voluntate se ipsam determinante sub inspiratione tanquam causa superiore, actu ipsam ad consentiendum movente & corroborante, & ita natura prius influente in consensum. Unde primas partes in consensu salutari attribuit gratiæ, non voluntati, quæ quidem est causa libera consensus, sed inferior, subalternata, & natura posterius in illum influens, non quia ad consentiendum prædeterminatur à gratia, sed quia gratiæ ipsam ad opus salutare allicenti ex propria determinatione obsequitur, dependenter ab ipsa gratia, ut eam actu elevante & corroborante etiam physicè. Unde gratia habet rationem causæ, & consequenter prioritatem causalitatis, non solum respectu consensus salutaris, sed etiam respectu ipsiusmet voluntatis, quæ se ipsam determinantis ad consensum salutarem. Juxta hanc igitur sententiam, non voluntas gratiæ, sed è contra gratia in omnibus præit voluntati, & ita non gratia voluntatis, sed è contra voluntas gratiæ in omnibus pedissequa est.

R. ad 4. N. Nam si de medio tollit omnem gratuitam electorum à reprobis discretionem, certè quia ex hypothese scientiæ mediæ, qualem defendimus pro statu naturæ lapsæ circa actus salutes, sequitur aut Deum non præparasse ab æterno, nec in tempore largiri gratiam, nisi intuitu alicujus actus naturalis; aut primam rationem, quare ex duobus adultis, quibus v. g. Evangelium prædicatur, unus credat, alter non credat, petendam esse à libera determinatione voluntatis utriusque; aut denique Deum non præparasse ab æterno, & ita nec in tempore largiri gratiam, nisi quia prævidit contingentem & liberam futuribilitatem actus salutaris sub conditione talis gratiæ; ita ut Deus ab hac futuribilitate prævisa moveatur, ad præparandam in æternitate, & ad dandam in tempore talem gratiam. Atqui nihil horum dici potest. Non primum, quod evidens est nullam habere connexionem cum scientia mediæ, qualem defendimus. Non secundum, Nam prima ratio, quare ex duobus adultis, qui Evangelium audiunt, unus credat, alter non credat, in hypothese nostra perenda est à gratia, quæ unum vocat, quomodo illi aptum est, & alterum non vocat, quomodo illi aptum est, ut vocantem non respuat; vel, si vis, à Deo, qui præiciens, quid quilibet homo ageret, vel non ageret in statu naturæ lapsæ sub quacumque conditione ad rem pertinente, uni, quia voluit, præparavit; alteri verò, quia noluit, non præparavit internam vocationem congruam ad fidem. Nam in nostra hypothese, gratuita præparatio gratiæ congruæ præsupponitur ejus largitioni gratuita, & gratuita largitio gratiæ congruæ præsupponitur liberæ determinationi voluntatis ad credendum, & voluntas unius non se determinat ad credendum, nisi dependenter à gratia, natura prius influente in hanc determinationem. Unde in nostra hypothese prius quam unus volendo credere, se discernat ab alio, qui non vult credere, ab eo duplici gratuita discretionem discretus est à Deo, nec se ipse postea discernit per liberam voluntatis suæ determinationem solus, sed cum gratia, juxta illud Apostoli, 1. Cor. cap. 15. *Non ego sed gratia Dei mecum:* sic tamen ut hujus discretionis primas partes sibi vindicer gratia, tanquam causæ superiori, subalternanti, & natura prius influenti. Non denique tertium. Nam in nostra hypothese contingens & libera futuribilitas actus salutaris sub conditione talis gratiæ, ut præcisa per scientiam mediæ, non magis movet Deum ad præparandam vel largiendam talem gratiam, quam movet in hypothese adversariorum actus salutaris futuribilitas, ut præcisa per scientiam simplicis intelligentiæ. Scimus enim, & cum Augustino contra Pelagianos & Semipelagianos docemus, actum contingentem & liberè futuribilem, quæ talium, nullam in æstimatione prudenti haberi posse rationem in ordine ad premiandum aut puniendum. Igitur contingens & libera futuribilitas actus salutaris sub conditione talis gratiæ, ut prævisa per scientiam mediæ; vel melius, scientia mediæ, quæ Deus certè & infallibiliter novit actum futuribilem esse sub conditione talis

gratiae, non movet Deum, sed solum dirigit illum in preparanda & danda tali gratia potius quam alia, quam homo actum salutarem non eliceret.

R. ad 5. N. Imò verò scientia illa, quam defendimus, maxime supponit hanc distinctionem. Non enim praescit contingentem & liberam futuribilitatem operum salutarium pro statu naturae lapsae, nisi sub conditione potentioris gratiae, hoc est, non modò illustrantis intellectum, sed etiam voluntatem immediatè adjuvantis, prostratam erigendo, torpentem excitando, languentem sanando & confortando immediatè & intimè. Cum tamen operum salutarium contingentem & liberam futuribilitatem pro statu innocentiae praescierit sub conditione laetioris quidem, sed longè minùs ex se potentis auxilii, hoc est, ut ego existimo, sub conditione solius illustrationis supernaturalis, foris ac robustè voluntati bonum agendum, & malum vitandum ostendentis. Quae gratia fuit quidem ex se longè minùs potens, quam complexum ex ipsa & inspiratione, qua Deus summè misericors, concupiscentiali morbo medetur; at laetior fuit propter donum integritatis, quo fruebatur homo innocens, quique proinde inest in illam luctam non experiebatur, quam patitur vel invitus homo in statu naturae lapsae, etiam cum iustus & sanctus est.

R. ad 6. N. Nam Pelagiani negabant nostra bona merita esse dona Dei, quia volebant ad ea sufficere vires naturales liberi arbitrii cum externa gratia legis & doctrinae. Item Semipelagiani negabant fidem inchoatam esse donum Dei, quia volebant ad illam vires naturales arbitrii sufficere cum solo Evangelii praconio. E contra S. Augustinus contendeat contra Pelagianos, omnia nostra bona merita, & contra Semipelagianos ipsam fidem inchoatam, quam ipsi perperam à bonorum meritorum numero excludebant, esse dona Dei, quia & quidem catholice sentiebat ad omnem actum salutarem, hoc est, conferentem aliquid ad salutem, praeter gratiam externam legis & doctrinae, aut praedicationis Evangelii, necessariam esse interiorem gratiam tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis, gratuito preparatam in aeternitate, & gratuito donatam in tempore à Deo. Huic autem doctrinae minimè opponitur scientia media, qualem defendimus pro statu naturae lapsae, & eam totam ambabus ulnis amplectimur, & suis locis constanter propugnamus.

R. ad 7. N. Nam gratia illa, secundum Augustinum, quae à nullo duro corde respuitur, qua Deus facit, &c. est gratia inspirationis, 1. qua Deus omnem cuiuscumque cordis, quantumvis indurati, duritiam auferre potest, & auferit quando vult & ubicumque vult, non praedeterminando voluntatem, sed in ea operando mirabiliter, & quomodo illi congruit, ut absque omni ad unam partem alligatione antecedenti de nolente fiat volens. 2. Qua Deus facit ut velimus & faciamus, tangendo cor nostrum, quomodo illi aptum est, ut ex propria determinatione velimus & faciamus opus salutare. 3. Qua creditur, speratur, & diligitur, non quia voluntas ab ea ad credendum, sperandum, & diligendum praedeterminatur; sed quia in hoc micro statu voluntas non credit, sperat, & diligit, nisi dependenter ab ea, ut immediatè & intimè ipsam adjuvante, atque vires subministrante necessarias ad credendum, sperandum, & diligendum. Hanc autem inspirationis gratiam scientia media, quam defendimus pro statu naturae lapsae, non modò non excludit, sed contra praesupponit ut conditionem, sub qua praescit contingentem & liberam futuribilitatem fidei, spei, & aliorum quorumcumque actuum salutarium pro statu naturae lapsae.

R. denique ad 8. Dicimus liberum hominis arbitrium pro statu praesenti consistere, non in facultate volendi praescitè sub iudicio indifferenti, ut vult Iansenius; sed in indifferentia activa, seu in facultate se ipsum determinandi ad alteram partem contradictionis vel contrarietatis. Hoc, fateor, dicebant quoque Pelagiani, sed non in hoc erant haeretici. Addimus hanc activam indifferentiam in hoc statu ita attenuatam, & viribus inclinatam esse, ut ad bonum faciendum, & malum vitan-

dum, voluntas nostra indigeat interioris gratiae adiutorio ipsam immediatè & intimè adjuvante. Hoc Pelagiani negabant, & in hoc erant haeretici. Audiamus S. Augustinum Juliano, querenti quòd ipse cum suis tanquam haeticis traduceretur, eò quòd in homine viatore activam indifferentiam circa bonum & malum tueretur, respondentem lib. 2. de nupt. c. 3. *Non itaque, inquit, sicut te atque alios fallens loqueris, si quis... liberum in hominibus arbitrium... dixerit, Celestianus & Pelagianus vocatur, istud quippe Catholica fides dicit. Sed si quis ad colendum rectè Deum, sine ipsius adiutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium... ipse Celestianus & Pelagianus vocatur. Liberum itaque in hominibus esse arbitrium... utrique dicimus, non hinc estis Celestiani & Pelagiani: liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adiutorio Dei... hoc vos dicitis. Hinc estis Celestiani & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen, unde vobis inditum est nomen?* Quibus verbis evidenter evertitur systema praetensorum Augustini Discipulorum. Nam ex illis sic breviter argumentor. Dogma liberi arbitrii etiam pro statu praesenti fuit commune Augustino & Pelagianis. Ergo non solum de voce, sed etiam de re inter se consenserunt Augustinus & Pelagiani circa liberum hominis arbitrium etiam pro statu praesenti. Ergo non solum Pelagiani constituerunt, sed etiam ipse Augustinus constituit liberum hominis arbitrium pro statu praesenti in facultate se ipsum determinandi ad bonum vel ad malum, expediri ab intrinseca ad alteram partem sive contradictionis sive contrarietatis obligatione, omnem libertatis usum antecedente. Ergo secundum Augustinum homo etiam in statu praesenti neque ad malum à praedominante concupiscentia, neque ad bonum à coelesti delectatione praevalente praedeterminatur: quid enim aliud esset, quam hominem à concupiscentia praedominante ad malum, vel à coelesti delectatione praevalente ad bonum antecederet alligari, si voluntas hominis ab una ad malum, ab altera praedeterminaretur ad bonum?

ARTICULUS III.

Ad quid sit utilis, vel etiam necessaria scientia media, qualem defendimus pro statu naturae lapsae circa actus salutes.

RESPONSIO I.

Scientia media, qualem defendimus pro statu naturae lapsae circa actus salutes, utilis est, imò necessaria ad conciliandam efficaciam gratiae cum libertate voluntatis, quae, ut fides docet, dicit non solum immunitatem à coactione, sed etiam à simplici necessitate.

Prob. 1. pars. Efficacia gratiae & libertas voluntatis inter se conciliantur, si haec duo conciliantur inter se, videlicet gratiam in actu primo spectatam, summa infallibilitate connexam esse cum voluntatis consensu, & voluntatem adhuc posse pro arbitrio consentire vel non consentire etiam in sensu composito gratiae. Quid enim amplius requiras aut ad gratiae efficaciam, aut ad voluntatis libertatem? Atqui haec duo evidenter conciliat scientia media, qualem defendimus, &c. Ergo, &c.

Prob. min. Nam haec scientia est ea, qua intellectus divinus novit consensum futuribilem esse sub conditione talis inspirationis ex se repudiabilis, & compositibilis cum negatione consensu. Ex quo principio facile argumentor. 1. Intellectus divinus novit consensum esse futuribilem sub conditione talis inspirationis. Ergo talis inspiratio summa infallibilitate connexa est cum consensu voluntatis in talibus circumstantiis suppositae: tanta enim infallibilitate connexa est cum consensu voluntatis in talibus circumstantiis suppositae, quanta infallibilitate ab intellectu divino cognoscitur consensum futuribilem esse sub conditione illius. Quidquid autem ab intellectu divino cognoscitur, summa infallibilitate

cogno-

cognoscitur. Ergo, &c. 2. Intellectus divinus novit consensum futuribilem esse sub conditione talis inspirationis ex se repudiabilis, & compossibilis cum negatione consensu. Ergo voluntas, accepta tali inspiratione, adhuc poterit pro arbitrio consentire vel non consentire etiam in sensu composito ipsius inspirationis: poterit enim illam repudiare, & cum ea dissonum componere. Ergo supponendo gratiam efficacem pro statu naturæ lapsæ esse inspirationem, sub cuius conditione Deus per scientiam, mediam inter scientiam merè possibilem, & scientiam existentem, novit contingentem & liberam futuribilitatem actus salutaris, duo manifestè habentur, & gratiam efficacem independentem ab actu secundo summa infallibilitate connexam esse cum consensu salutari, ad quem datur, & nihilominus voluntatem adhuc posse etiam moraliter pro arbitrio consentire vel non consentire in sensu composito gratiæ. Ratio est, quia in hac suppositione, gratia efficax, si detur, ita per virtutem propriam operatur ut consensum voluntatis cum ipsa voluntate; non enim gratia à voluntate, sed voluntas à gratia adjuvatur; ut non sit operatura infallibiliter, nisi quatenus datur ex directione summæ infallibili, quia datur ex directione scientiæ summæ infallibilis, proindeque operatura sit infallibiliter summa quidem infallibilitate, sed extrinsecus adveniente. Infallibilitas autem ab extrinseco petita, quantumcumque sit, intrinsecam gratiæ repudiabilitatem impedire non potest.

Prob. 2. pars. Gratia efficax consistit in interna vocatione, seu inspiratione, ut demonstrabitur suo loco ex S. Augustino, & docent ii contra quos hic pugnamus; non verò in gratia comitante, & physicè prædeterminante, ut docent Thomistæ. Ergo, ut concilietur efficacia gratiæ cum libertate voluntatis, qualis scilicet requiritur ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, duo concilianda sunt in inspiratione efficaci, absoluta scilicet infallibilitas, & intrinseca repudiabilitas. Nam 1. sine absoluta infallibilitate inspiratio non est gratia efficax. Efficax enim gratia est medium, quo Deus utitur ad exequendum decretum prædefinitivum actus salutaris, proindeque proportionatum huic decreto, quale certè non est, si non est absolute infallibile. 2. Sine intrinseca repudiabilitate inspiratio non relinquit voluntati suam libertatem, quia non relinquit illi facultatem pro arbitrio consentiendi vel non consentiendi in sensu composito. Nec dic inspirationem irreputabilem relinquere voluntati facultatem non consentiendi in sensu diviso. Nam 1. hic sensus divinus non est in potestate voluntatis, & consequenter inutilis est ad salvandam voluntatis libertatem. 2. Concilia ad libertatem requirunt facultatem resistendi. Facultas autem resistendi est facultas non consentiendi in sensu composito. Atqui rejecta scientia media, non possunt conciliari in inspiratione efficaci absoluta infallibilitas, & intrinseca repudiabilitas. Ergo scientia media necessaria est ad conciliandam efficaciam gratiæ cum libertate voluntatis ad merendum & demerendum requisita.

Prob. subs. Ut inspiratio efficax sit simul absolute infallibilis, & tamen ex se repudiabilis, requiritur ut non sit absolute infallibilis à se, sed tantum ab extrinseco, seu per denominationem realem quidem, sed extrinsecam. Atqui non potest esse absolute infallibilis ab extrinseco, sublata scientia media. Ergo, &c. Major patet. Nam inspiratio efficax absolute infallibilis ab intrinseco esset intrinsece irreputabilis, nec aliunde in inspiratione efficaci intrinseca infallibilitas absoluta provenire posset, quam ab intrinseca irreputabilitate absoluta. *Prob. min.* Nam si inspiratio efficax, quamvis ex se repudiabilis, est tamen absolute infallibilis ab extrinseco, certè talis nec est, nec esse potest, nisi per denominationem extrinsecam, petitam à scientia illa, qua Deus summa infallibilitate præscit, consensum voluntatis futuribilem esse sub conditione talis inspirationis, quantumvis ex se repudiabilis. Atqui hæc scientia est scientia illa media, quam defendimus. Ergo, si inspiratio efficax, quamvis ex se repudiabilis, est tamen absolute infallibilis ab extrinseco, talis nec est, nec esse

Simonet Theol. Tom. I.

potest, nisi per denominationem extrinsecam petitam à scientia media, quam defendimus, & consequenter sublata scientia media, quam defendimus, inspiratio efficax, ex se repudiabilis, amittit absolutam suam infallibilitatem extrinsecam, proindeque hoc ipso non est inspiratio efficax.

RESPONSIO II.

Scientia media, qualem defendimus circa actus salutes pro statu naturæ lapsæ, utilis est, imò & necessaria ad conciliandam certitudinem prædestinationis cum libertate voluntatis, seu cum activa voluntatis indifferentia, expedita ad utrumlibet.

Prob. 1. pars. Prædestinatio, ut docet S. Augustinus est preparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur, ac proinde preparatio internarum vocationum, quibuscum electi certissime credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem misericorditer illis præparatum, certissime perseverant. Unde prædestinationis certitudo perfectè conciliatur cum libertate voluntatis, si prædestinatio dicitur esse preparatio internarum vocationum absolute infallibilium, & tamen ex se repudiabilium, & compossibilium cum negatione consensu salutaris, ad quem alliciunt: nam 1. quæ est preparatio vocationum absolute infallibilium, absoluta infallibilitate finem suum assequitur, nempe salutem electorum, & sic est absolute infallibilis. 2. Quæ est preparatio vocationum ex se repudiabilium, relinquit voluntati electorum expeditam facultatem consentiendi vel non consentiendi pro arbitrio etiam in sensu composito inspirationis ad consentium allicientis. Atqui ope scientiæ mediæ, qualem defendimus, facile ostenditur prædestinationem esse posse præparationem internarum vocationum absolute infallibilium simul & ex se repudiabilium, ut patet ex dictis resp. 1. Ergo scientia media, quam, &c. utilis est ad conciliandam certitudinem prædestinationis cum libertate voluntatis.

Prob. 2. pars. Ad conciliandam certitudinem prædestinationis cum voluntatis libertate, duo inter se concilianda sunt, nempe absoluta prædestinationis infallibilitas in assequendo fine suo, qui est salus electorum, & voluntatis expedita facultas consentiendi vel non consentiendi pro arbitrio etiam in sensu composito vocationis, seu inspirationis ad consensum invitantis. Atqui hæc duo conciliari non possunt, nisi prædestinatio dicatur esse preparatio internarum vocationum, seu inspirationum simul ex se repudiabilium, & summè infallibilium, ut per se clarum est; neque, ut evidenter intelligitur ex dictis resp. 1. prædestinatio dici potest preparatio vocationum summè infallibilium, & tamen ex se repudiabilium, nisi admittatur scientia, qua Deus summa infallibilitate præcitat contingentem & liberam futuribilitatem consensu salutaris sub conditione talis vocationis, seu inspirationis ex se repudiabilis. Quæ scientia est scientia media, quam defendimus pro statu naturæ lapsæ. Ergo scientia media, quam defendimus pro statu naturæ lapsæ, necessaria est ad conciliandam certitudinem prædestinationis cum voluntatis libertate, ad quam requiritur fides facultatem expeditam resistendi prævenienti gratiæ, hoc est, facultatem expeditam pro arbitrio consentiendi vel non consentiendi gratiæ prævenienti etiam in sensu composito ipsius gratiæ prævenientis.

RESPONSIO III.

Scientia media, qualem defendimus circa actus salutes pro statu naturæ lapsæ, utilis est, imò & necessaria ad dirigenda decreta Dei prædefinitiva actuum salutarium electorum.

Prob. 1. pars. Decretum prædefinitivum actus salutaris est illud, quo Deus absolute & efficaciter vult, ut actus salutaris non modò fiat, sed etiam liberè fiat, hoc est, ut actus salutaris non modò fiat, sed etiam fiat cum facultate expedita ad non faciendum illum, vel etiam ad faciendum oppositum. Atqui scientia media, qualem defendimus circa actus salutes pro statu naturæ lapsæ, aptissima est ad dirigendum decretum

F 3 quo

quo Deus vult: absolute & efficaciter ut actus salutaris non modo fiat, sed etiam fiat cum expedita facultate ad omittendum illum, vel etiam ad faciendum oppositum. Nam scientia illa est ea, qua Deus summa infallibilitate præcitat contingentem & liberam futuribilitatem actus salutaris sub conditione talis vel talis vocationis ex se repudiabilis, & consequenter qua Deus summa infallibilitate præcitat, quod actus salutaris non modo fieret, sed etiam cum expedita ad utrumlibet facultate fieret, si voluntas tali vel tali modo vocaretur seu inspiraretur. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Ut Deus sapienter prædefiniret actus salutaris, hoc est, sapienter vellet, absolute & efficaciter, ut non modo fiant, sed etiam liberè fiant, debet ratione prius quam vellet, habere in potestate sua, & scire habere se in potestate sua media, quibus adhibitis, actus salutaris absoluta infallibilitate non modo fierent, sed etiam liberè fierent. Atqui hæc scientia non potest esse alia, quam ea, qua Deus absoluta infallibilitate præcitat actus salutaris esse contingentem & liberè futuribiles sub conditione certarum inspirationum ex se repudiabilium. Ergo Deus, cum non possit nisi sapienter velle id omne quod vult, non potest prædefinire actus salutaris, nisi ratione prius absoluta infallibilitate præcitat actus salutaris esse contingentem & liberè futuribiles sub conditione certarum inspirationum ex se repudiabilium. Hæc autem præscientia est scientia media, quam defendimus pro statu naturæ lapsæ. Ergo scientia media, quam defendimus pro statu naturæ lapsæ, necessaria est ad dirigenda decreta Dei prædefinitiva actuum salutarium electorum.

Confirm. Cum Deus nihil temerè decernat, aut decernere possit, ipsi decernenti actus salutaris electorum necessariò præluet scientia, qua absoluta infallibilitate præcitat actus salutaris non modo possibiles, sed etiam futuribiles esse sub conditione certarum vocationum seu inspirationum. Ergo præluet ei vel scientia, qua præcitat actus salutaris futuribiles esse sub conditione certarum vocationum intrinsecè irrepudiabilium, vel scientia, qua præcitat actus salutaris futuribiles esse sub conditione certarum vocationum intrinsecè repudiabilium. Non prima scientia: cum enim sit scientia actuum salutarium ut necessariò futuribilia: nam actus salutaris necessariò futuribilis est sub conditione vocationis irrepudiabilis, & posita vocatione irrepudiabili actus necessariò fieret, quia fieret à voluntate antecedenter ad unum determinata, etiam in actu primo considerata: omnino inepta est, prima scilicet scientia, ad dirigendum decretum quo Deus vult ut actus salutaris non modo fiat, sed etiam liberè fiat, hoc est, sine antecedenti ad unum determinatione, se tenente ex parte actus primi. Superest igitur, si volumus sequi doctrinam S. Augustini gratiam efficacem constituentis in certa vocatione seu inspiratione, qua scilicet voluntas in his vel illis circumstantiis vocatur, quomodo illi aptum est, ut vocantem sequatur; superest, inquam, ut Deo decernenti actus salutaris electorum confiteamur præluere scientiam secundam, hoc est, scientiam mediam, qualem defendimus pro statu naturæ lapsæ.

Obj. 1. Pelagiani & Semipelagiani eodem modo conciliandi efficaciam gratiæ cum libertate voluntatis usi sunt contra S. Augustinum, & contra alios Catholicos cum Augustino pro vera Christi gratia pugnantes. R. hoc esse falsum. Nam 1. Pelagiani libertati humanæ consultum esse voluerunt, negando necessitatem inspirationis ad opera salutaria, nulla distinctione facta inter opera salutaria, & operum salutarium initia: putabant enim hominem non fore liberum libertate arbitrii circa bonum, si ad bonum faciendum indigeret alieno auxilio, quod nullo modo haberet in sua potestate, qualis est inspiratio divina, quam Deus in nobis sine nobis operatur pro suo beneplacito: unde necessitatem inspirationis, seu adiutorii voluntatem intimè & immediatè efficientis, atque à solo divino beneplacito dependentis, dicebant esse fatalem necessitatem, qua posita, omnis arbitrii libertas circa bonum evanesceret. Quare veram Christi gratiam in exemplis & doctrina ipsius

Christi, quæ in sacris libris exposita prostant omnibus, constituerebat. 2. Semipelagiani ex una parte cum Pelagianis sentientes hominem non fore liberum libertate arbitrii circa bonum, si indigeret alieno auxilio, quod nullo modo haberet in sua potestate, & ex altera cum Catholicis consistentes necessitatem inspirationis ad omnia bona opera non solum perficienda, sed etiam incipienda, ut libertati arbitrii consulerent, quadam bonorum operum initia commenti sunt, ad quæ vires naturæ sufficerent cum externa quadam gratia omnibus indifferenter oblata, ac proposita, & quorum ope homo haberet in sua potestate internam inspirationis gratiam, ad opera quæcumque salutaria etiam incipienda necessariam; & hoc pacto omnibus inspirationis gratiam indifferenter preparatam esse asserbant; ita ut iis, qui vellent, infunderetur; iis verò, qui nollent, non infunderetur. Quid autem, amabo, hæc habent commune cum nostro modo conciliandi efficaciam gratiæ cum libertate voluntatis?

Obj. 2. Non aliter conciliamus certitudinem prædestinationis cum voluntatis libertate, quam Pelagiani & Semipelagiani. R. hoc esse falsum. Nam Pelagiani solam prædestinationem, vel si vis, solam electionem ad gloriam admittebant, & hanc electionem volebant ab æterno factam esse ex absoluta prævisione meritorum naturalium, hoc est, ex prævisione bonorum operum, quæ ii, qui prædestinantur, facturi sunt cum solis naturæ viribus. Unde non aliter prædestinationem cum voluntatis libertate conciliabant, quam libero voluntatis arbitrio subijciendo ipsam prædestinationem: ita ut non voluntatem à prædestinatione gratuito præparante beneficia, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur, sed prædestinationem ut præmia præparantem à voluntate per nativas arbitrii vires in mandatorum observatione usque in finem perseverantia dependere vellent. 2. Semipelagiani præter prædestinationem ad gloriam factam ex absoluta prævisione meritorum supernaturalium, hoc est, operum salutarium, non sine interno inspirationis adiutorio faciendorum, admittebant quidem prædestinationem ad gratiam, seu præparationem operum salutarium & congruarum inspirationum ab æterno factam, sed subijciebant illam quibusdam initiis bonorum operum, hoc est, fidei inchoatæ, orationi, & aliis ejusmodi conatibus, à solis viribus arbitrii dependentibus. Unde conciliabant illam cum libertate voluntatis, illam permittendo voluntatis arbitrio: ita ut secundum illos, qui vellent, essent prædestinati ad gratiam; qui nollent, non essent; seu, quod eodem redit, ita ut Deus ad gratiam prædestinaret eos, quos saltem prævidit esse credituros; alios verò non prædestinaret ad gratiam, quos non prævidit esse credituros. Ut paucis absolvam, Pelagiani & Semipelagiani liberum arbitrium defenderunt, negando omnem prædestinationis gratuitatem etiam in radice.

Dices. Nostro illo modo conciliandi efficaciam gratiæ & certitudinem prædestinationis cum libertate, tam evertimus prædestinationis mysterium, quam evertunt Pelagiani & Semipelagiani. R. hoc esse falsum. Nam nostro illo modo conciliandi, &c. non tollimus gratuitatem prædestinationis, sed eam potius supponimus; imò ad eam contra Pelagianos & Semipelagianos defendendam, hunc modum conciliandi libertatem cum gratia & prædestinatione adhibemus, & cum gratia efficaci, ac gratuita prædestinatione, quantumvis certa, salvam & integram consistere libertatem arbitrii ostendimus. Pelagiani verò & Semipelagiani evertunt mysterium prædestinationis, tollendo omnem prædestinationis gratuitatem, & omne electorum & reprobatorum discrimen refundentes primitus in naturalem libertatis usum. Nam interrogatus Pelagianus, quare unus fuerit prædestinatus ad gloriam, alter verò non fuerit: respondebat, quia unus prævidus fuit bono naturali bene usus ex innatis arbitrii viribus, alter verò prævidus fuit, non bene usus. Similiter Semipelagianus interrogatus, quare unus fuerit prædestinatus ad sanctitatem & vitæ puritatem, sine qua nemo salvari potest, alter verò non fuerit: respondebat, quia

quia unus relictis ex originali culpa viribus arbitrii prævius fuit bene usus, credendo, orando, & alia ejusmodi præstando, quæ homo, quamvis lapsus, adhuc per se solum præstare potest; alter verò prævius fuit non bene usus, nolendo credere, orare, &c. Nos autem quærenti, quare unus liberetur, alter non liberetur; unus vocetur, quomodo illi congruit, alter non vocetur; uni præparata fuerint beneficia quibus certissime liberatur, alteri non fuerint præparata; uni detur perseverantia, & alteri non detur; respondemus, nec aliter respondere possumus, quam per beneplacitum Dei, qui cujus vult miseretur, & quem vult indurat, non quidem impertiendo malitiam, sed non largiendo gratiam, hoc est, beneficia illa, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur; quique omnes homines, in eadem damnatione positos, reprobare possit; unde quod aliquos prædestinavit, magna misericordia est; quod alios non prædestinavit, sed in massa perditionis reliquerit, justissimum judicium est. Quare autem hunc potius quam illum elegerit, si quis interroget, respondemus cum Apostolo, Rom. cap. 11. *Quis cognovit sensum Domini; aut qui consiliarius ejus fuit? quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* De Deo autem expostulanti objicimus ejusdem Apostoli verba, ead. epist. c. 9. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicite sumentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus, &c.*

Obj. 3. Ad conciliandam libertatem nostram cum efficacia gratiæ & certitudine prædestinationis, recurrendum est ad omnipotentissimam Dei potestatem, quæ, ut docet S. August. lib. de Corr. & Gr. c. 14. magis disponere potest de voluntatibus hominum, quam ipsi homines; & ad summam efficaciam divinæ voluntatis attingentem non solum substantiam actuum nostrorum, sed etiam modum illorum in libertate positum. *R.* Bene est, sed ulterius restat explicandum in quo sita sit omnipotentissima illa potestas, & summa divinæ voluntatis efficacia: neque enim consistunt in eo, quod Deus possit per quodlibet medium, etiam antecedenter voluntatis obligativum ad alteram partem contradictionis, facere non modò ut velimus, sed etiam ut liberè velimus. Hoc enim manifestè repugnat. Dicimus ergo in duobus consistere: videlicet in scientia, qua absoluta infallibilitate novit media de se repudiabilia, sub quorum tamen conditione actus nostri futuribiles sunt, & potentia mediorum illorum inimpedibiliter executiva. Hoc ipso enim quod Deus absoluta infallibilitate novit media de se repudiabilia, quæ tamen si adhibeantur, voluntatem, quantumvis ab antecedenti ad unum determinationem immunem, ad volendum permutata sunt, atque hæc media absoluta infallibilitate permutata sunt, hoc ipso quod absoluta infallibilitate novit esse permutata; nec aliunde ab ullo agente, ullove obice à talium mediorum executione impediri vel retardari potest; statim intelligitur habere omnipotentissimam potestatem in voluntates nostras, & voluntatem summè efficacem in attingendis actibus nostris non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum libertatis, quia statim intelligitur cum omnipotentissima facilitate facere posse, quando voluerit, & ubi voluerit, ut non modò velimus, sed etiam liberè & liberimè velimus: ita ut quando voluerit & ubi voluerit, ut non modò velimus, sed etiam liberè velimus; absoluta infallibilitate, & summa necessitate extrinseca futurum sit, ut & velimus, & liberè velimus.

Obj. 4. Verus modus conciliandi libertatem cum efficacia gratiæ difficilis est, teste S. Augustino. Atqui noster facilis est. Ergo non est verus modus conciliandi libertatem cum efficacia gratiæ. *R. 1.* modum conciliandi duo fidei dogmata inter se, pro aliquo tempore minùs explicatum & evolutum, proindeque intellectu difficiliorem, posse pro alio tempore subsequente à Doctoribus Catholicis, ob urgentem aliquam necessitatem, & ad refutandam aliquam hæresim, explicari magis & evolvi, & hoc pacto capri faciliorem evadere. *R. 2.* modum conciliandi libertatem cum efficacia gratiæ, quem adhibent adversarii, nostro longè faciliorem esse: nam ad hanc conciliationem exequendam,

Simonnet Theol. Tom. I.

ex una parte gratiam omnem efficacem constituunt in delectatione victrici, hoc est, in cœlesti quadam suavitate prædominante, & qua proinde bonum voluntati magis placet indeliberatè, quam malum; & ex altera ponunt libertatem arbitrii in sola immunitate à coactione, seu quod idem est, in sola spontaneitate sub judicio indifferenti, hoc est, sub judicio objectum proponente partim ut bonum, partim ut malum, cum potentia resistendi in sensu diviso delectationi prædominanti, hoc est, cum potentia non faciendi id, ad quod à delectatione prædominante prædeterminatur, si hæc delectatio oppositæ desineret prævalere. Quidquid enim dicant, non aliam in re libertatem arbitrii in homine lapso agnoscunt. At, quæso, quid facilius intelligitur, quam delectationem victricem stare cum judicio indifferenti; voluntatem à delectatione victrici prædeterminatam, sponte bonum velle; voluntatem sub delectationis victricis dominio retinere potentiam malum volendi sub dominio delectationis terrenæ? *R. 3.* nostrum modum conciliandi libertatem cum efficacia gratiæ non ita facilem, imò valdè difficilem esse ob multas & graves difficultates, quas patitur systema scientiæ mediæ, quod longè difficilius est systemate adversariorum, quo nihil, cum manifesto tamen fidei præjudicio, facilius excogitari potuit, cum sit purè mechanicum. Unde nec quidquam inveniri potuit aptius ad decipiendos eos, qui laborem fugiunt, & amant novitatem.

Obj. denique. Hic noster modus conciliandi libertatem humanam cum certitudine prædestinationis fuit saltem inventum Fausti Rejenis, Semipelagianorum patroni, ut probatur ex hoc illius axioma: *Nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit.* Ex quibus verbis apparet, quàm indignè de Deo senserit, faciendo Deum exploratorem, seu Deo exploratricem scientiam attribuendo, quam nos etiam Deo injuriam facimus, cum scientiam mediam ei attribuimus. *R. N.* Nunquam enim Faustus Rejenis cogitavit de concilianda libertate humana cum certitudine prædestinationis gratuitæ: cum omnem gratuitam prædestinationem rejecerit, & voluerit non prædestinationem exercitio libertatis humanæ, sed è contra exercitium libertatis humanæ in præscientia præire prædestinationi, ut patet ex verbis ejus, quæ hic citantur, & ubi de præscientia, non conditionali, sed absoluta loquitur. Unde sensus illorum est, nisi Deus absolute præviderit bonum libertatis ulum absolute futurum, nihil prædestinatione sua decernit; vel, Deus nihil prædestinatione sua decernit, nisi ex absoluta prævisione boni usus libertatis humanæ absolute futuri, & quidem tanquam motivi voluntatem divinam impellentis ad decernendum. Patet ex cap. 3. alterius è duobus libris de grat. & lib. arb. quibus doctrinam S. Augustini, ipsumque Augustinum tacitè suggillat, & quantum potest impugnat Faustus, erroribus Semipelagianorum addictus. Faustus igitur non curavit de concilianda certitudine prædestinationis cum libertate humana, vel certè non alio modo conciliavit, quàm Pelagianj aut Semipelagianj, negando scilicet prædestinationis gratuitatem, illamque faciendo libertatis humanæ pedissequam. Dicere autem quod Deum faciat exploratorem, & adhibendo hoc vocabulum, explorare, satis frigidum est. Sed quidquid sit, nos attribuendo scientiam mediam Deo, minime attribuimus ei scientiam exploratricem; scientia enim exploratrix non potest esse, nisi ea, quæ cum labore & quadam anxietate investigat aliquid, qualis certè non est scientia media, qua videlicet Deus ab æterno & pro æterno unico & simplici intuitu, quid qualibet creatura rationalis pro quolibet statu actura vel non actura esset sub quacumque conditione possibili ad rem pertinente, certè & infallibiliter cognoscit ex intrinseca & summa intellectus divini determinatione ad cognoscendum omne cognoscibile, hoc ipso præcisè quod habet cognoscibilitatem objectivam, hoc est, hoc ipso præcisè quod potest terminare cognitionem.